

Q. D. B. U.

# Cœnobii ad S. Fran- ciscum

Historiam,

Quantum ex vetustate superstes, publicæ luci exponit,

atque ad

intimandum

ORATIONES BINAS VALEDICTORIAS

in

## Illustri Curiano

ad Diem 21. Februarii post sacra matutina habendas

Apparitoris loco præmittit,

quò simul

Curianæ Urbis PROCERES & Eruditos FAUTO-  
RESQUE Musarum quoscunque,

*ut præsentiam nobis commodent suam, humillimè ac decenter*

*orat*

M. JOH. CHRISTOPHORUS WESSEL

Gymnasii Rector.

---

*CURIAE, Literis Minzelianis.*



**H**Xposito superius *Franciscanorum nomine*, quod à Magistro suo, contra voluntatem ejus (nam *minores* a seclis ille suas dici cupiebat) assumserunt, evolutaque Ordinis hujus quæ licuit brevitate, historia, de Cœnobio illo ejusque incolis antiquis in specie nunc erit agendum. *Tempus* quidem quando sedem suam primùm hîc elegerit hoc hominum genus, adeò certò non constat. Quamquam enim ex literis p. 226. allegatis *Videmannus* noster A. 1292. primordia id sumsisse sua evincere conatur, quò scilicet tempore Templum Franciscanum erigi cepit, ex ipsis tamen literis illis conjicimus aliquot jam ante annos anachoretas quosdam vitam hîc egisse. cum verba: *Fratres minores in Curia commorantes &c.* haud obscure illud innuere videantur. Primos Autores jam *Chronico* nostro subduxerat ætas, nisi *superstitionem* solam jecisse fundamenta Cœnobii velis dicere, quæ fat antiqua; sed quò antiquior, eò sanè efficacior fuit: Quando quidè ad propositas Purgatorii metu percussis animis indulgentiales literas omnium patebant loculi, quod plus simplici vice jam fuit evictum. Evincunt autem denuò & sequentes literæ:

Anno 1351. hat Bruder Eberhard Guardian und der ganze Convent des Franciscaner-Blosters allhier sich verschrieben/eine ewige Mess alle Tag ohne Unterlaß zuhalten/ Herrn Cunrad von Tepen dem reichen seeligen/ seinen Brüdern/ seinen Kindern/ und allen ihren Erben/ durch aller ihrer Seelen Seeligkeit willen/ ob ihre Seele in einigerley Pein wären oder noch kommen solten/das sie GOTT desto eher daraus geruhet zu erlösen/ und sollen die Mess also halten/das alle Montag eine Mess von denselben Seelen/ und am Sonnabend eine von unser Frauen/ sonst aber alle Tag eine Mess von demselben Tage/ oder von den Heiligen/oder die sich die geburt/ gesungen oder gelesen werde daran/ und das die Messen desto pleißiger gehalten werden/haben sie zu einen Seelengeret/ vom eben genannten Cunrad von Tepen ein gut Pferd/ zu steuer an dem Gebewde/ empfangen. Dieses ist mit des Convents Insigel bekræfftiget worden/ da man zehlte von Gottes geburte Tausend Jar/ Driehundert Jar/ in dem ein und funffzigsten Jare des nächsten Freitags vor Pfingsten. O superstitionem! O pectora caeca! sed quis ad offusas cimmerias ejusmodi tenebras non caligaret? non possum hic temperare mihi, quin pro illustrando hoc tenebrionum aucupio aliquot formulas indulgentiarum, huc ponam quibus blasphemia Papatus ad oculum patet.

Pro vivis.

In nomine sancte & individua Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus S. Amen. Iste sunt facultates concessa Hospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, ac benefactoribus & confratribus ejusdem Hospitalis. Inprimis Honorius, Papa quartus concedit Magistro & fratribus ac procuratoribus, quod possint componere & absolvere de usuris, rapinis, incendiis, præter Ecclesiarum incendia, & aliis rebus malè & illicitè acquisitis, si non inveniatur verus dominus: item commutare omnia vota, Hierosolymitano duntaxat excepto, & absolvere de horis canonicis à clericis intermissis. Item Bonifacius concedit absolutionem usurarum, homicidiorum & oppresionem parvulorum, & incestuosorum & aliorum premisorum, sicut Honorius. Item concedit benefactoribus remissionem septimæ partis injunctæ pœnitentiæ; ac benefactores & confratres facit participes Indulgentiarum, stationum urbis, & dedicationis sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vult eos participare cum peregrinantibus seu proficiscentibus ad terram sanctam. Et concedit porrigentibus Eleemosynam plenariam absolutionem in mortis articulo. Item Urbanus, Papa quintus concedit benefactoribus & confratribus autoritatem eligendi confessorem, qui eos semel in vita, & in mortis articulo plenariè absolvat ab omnibus casibus, etiam sedis Apostolicæ reservatis. Item excommunicat, sententia majoris excommunicationis omnes impediētes aut perturbantes hoc salutare negocium; absolutionem sibi vel successoribus reservando. Item Sixtus, papa quartus, concedit, quod singuli utriusque sexus Christi fideles, tam Ecclesiastici quam seculares, qui in libro Confraternitatis descripti fuerint, secularem vel irregularem presbyterum in suum possint eligere confessorem, qui eligentium confessione diligenter audita eis semel, vita comite, ab omnibus & singulis criminibus & peccatis, nec non excommunicationis sententiis & censuris Ecclesiasticis, etiam occasione Simonie super ordinibus vel beneficiis assequendis contractæ & aliis casibus specialiter vel generaliter Romano Pontifici & sedis Apostolicæ quovis modo reservatis, & propter quæ ipsa sedes meritò esset consulenda. (Præterquam heresis, rebellionis aut conspirationis in personam vel Statum Romani Pontificis seu sedis Apostolicæ & offense personalis in sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Patriarcham, Archi-Episcopum & Episcopum, ac Presbytericidii) & in mortis etiam articulo, plenariam omnium peccatorum, etiam exceptorum, hujusmodi remissionem impendere possit, &c.

Universis & singulis venerabilibus presbyteris & cujuscunque ordinis regularibus, Nos Franciscus Tripontinus, utriusque Juris Doctor, sacri & A-

postolici Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, autoritate Apostolica ad  
 partes Alamania Commissarius notum facimus, qualiter die infra scripta  
 dilecti nobis in Christo, Johannes Burger cum uxore Catharina, Mattheo &  
 Johanne filiis &c. devotione moti intraverunt in sanctam prefati Hospitalis  
 confraternitatem, & in libro ad hoc deputato descripti sunt, & merito conse-  
 quuntur omnes gratia facultates plenariasque peccatorum remissiones, per  
 summos Romanos Pontifices Confratribus concessas. Et nos autoritate nobis  
 concessa facimus eos participes & consortes in omnibus missis, matutinis, jeju-  
 niis, disciplinis, officiis, elemosynis & aliis quibuscunque bonis, qua fiunt & fi-  
 ent in toto ordine, tam in vita, quam post mortem, in quorum fidem presentes  
 fieri fecimus, Sigillo, quo in talibus utimur munitas. Datum Curia Regniz,  
 die 27. mensis Februarii anno Domini M. D. XVI.

### Forma Absolutionis.

Misereatur tui &c. Dominus noster Iesus Christus, per meritum sue  
 sanctissime Passionis, dignetur te absolvere. Et ego autoritate ipsius, & be-  
 atorum Petri & Pauli Apostolorum eius & Domini nostri Pape, mihi in hac  
 parte commissa, & tibi concessa, absolvo te ab omni vinculo ex communicati-  
 onis majoris & minoris, suspensionis & interdicti, si quam incurristi: & restituo  
 te sanctis Sacramentis Ecclesie & unitati fidelium. Absolvo te etiam ple-  
 nariè ob omnibus peccatis tuis confessis, contritis & oblitis & à casibus etiam sedi  
 Apostolice reservatis, in quantum claves S. matris Ecclesie se extendunt, tibi  
 concessum & mihi commissum est: & restituo te illi innocentie & puritati, in  
 qua eras, quando sacrum baptismum recepisti, remittoque tibi omnes pœnas in  
 Purgatorio debitas: Claudio tibi portas inferni & januas aperio Paradisi:  
 Bona per te facta & fienda sint in augmentum tue salutis & gratie divine, &  
 si de hac infirmitate non morieris, etiam absolutio sit tibi salva pro ultimo vita  
 tue Spiritu; in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen. Tanta super-  
 stitio nemperegnabat tunc, qua fascinati Illustris: VVeidenses Comites nobi-  
 lissimeque quedam familie supra p. 285. alibique sepius nominate, & Cœno-  
 bium fundarunt & donationibus egregiè auxerunt. Initio quidem arctis ad-  
 modum haud dubiè circumscripta limitibus Franciscanor. fuere habita-  
 cula, quæ tamen magnificè aucta deinceps apparuere impensis Heinrichi,  
 Comitis de Weida, qui primus aucti Monasterii Guardianus. Faciem hujus Monasterii antiquam nullibi descriptam legimus, illas  
 verò Aedes sub cuius tecto duo Auditoria & Contubernium Scholasticum  
 hodie habentur & in latitudinem 32. Longitudinem 63. pedes porri-  
 gitur,

gitur, Bibliothecam fuisse atque Cœnaculum; Alteram Domum Templō  
 contiguam latitudine sua circa 100. longitudine 159. pedes habentem,  
 spatiosum satis Domicilium monachis præbuisse; Tertiam, quæ nunc  
 servando frumento atque lignis inservit, & longitudine est 22, latitudi-  
 ne 52. & quod excurrit pedum, & in re polentariâ & Zuboviciâ usum  
 præbuisse ex Widemanno clarè constat. (Quarta verò Domus, quam i-  
 gnis aliquot abhinc annis Urbi nostræ feralis Generoso Domino de Kahnde-  
 pavit, S. Claræ diversoriū pro advenis fuit huc & non pertinet.) Ut adeò  
 mendicantibus hisce, ad alimentū per redditus pingues, utpote qui & panis  
 silliginei & vini cerevisiæq; & piscinarum, omniumq; adeò utensilium sat  
 uberes habuerunt proventus prorsus nihil defuerit. Sed ut ordine agam⁹  
 recensendi hîc ante omnia Guardiani veniunt, quorum officium fuit,  
 totius monasterii bona custodire, rebusque Ecclesiæ administrandis præ-  
 esse. Ita enim Micrælius: *Guardianatus res & officium Guardia; Guardia est  
 species feudi, quo castrum vel territorium alicui datur custodiendum. Hinc  
 Guardianus dicitur, cujus fidei redditus & res ecclesie vel monasterii concre-  
 duntur, ut rectè administrantur.* Gregem in his ducit Henricus, Illustris-  
 simus Weidensium Comes supra commemoratus; quantumvis enim  
 jam ante eum extiterint citra dubium plures, præter supra allegatum E-  
 berhardum, ut conjecturam nobis faciunt literæ antiquissimæ sequen-  
 tes: *Burckhardus Dei gratia sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepisco-  
 pus, universis Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem  
 in Domino sempiternam! Animarum lapsū multis modis est succurrendum, ut  
 eot aut plura inveniuntur salutaria, quot imminent pericula cotidie nascitura.  
 Cupientes igitur Monasterium Fratrum minorum, ordinis S. Francisci, in Cu-  
 ria, Diocesis Babenbergensis construendum in honore gloriose Virginis matris  
 Mariæ, spirituali gratiarum privilegio honorare: Omnibus corde contritis  
 & verè confessis, qui in summis quatuor festivitatibus videlicet Nativitatis  
 Domini, Resurrectionis, Ascensionis & Pentecostes, nec non in quatuor festivi-  
 tatibus beate Virginis, in festo S. Francisci Confessoris, S. Anthonii Confesso-  
 ris, nec non S. Claræ Virginis, & in anniversario dedicationis, ac per octavas  
 earundem festivitatum, dictum monasterium cum devotione accesserint, suas-  
 que Eleemosynas ibidem elargiti fuerint, seu quocumque modo illic manus por-  
 rexerint adjuvices: Nos de omnipotentis Dei misericordia, ac suæ matris Ma-  
 riæ, nec non S. Mauritii Patroni nostri, meritis & autoritate, ac nostra Confisi,  
 quadraginta dies Indulgentiæ, de injunctis sibi pœnitentiis, dum modo Diocesi-*  
 anis

ani Consensus ad id accesserit, misericorditer in Domino relaxamus. Datum in Curia, anno M.CCCX. septimo Idus Aprilis. Et quia sigillo nostro ad presens caremus, secreto sigillo nostro in presentibus usi sumus.

II. Johannes Schloßer/ qui vicarium habuit Johannem Amberger A. 1401.

III. Joh. de Schlackenwert, qui vicarium habuit Joh. Schinermesser/ lectorem verò Ulricum Wittich/ de quo Widemannus refert; quod simul fuerit Custos der Custodienzu Leipzig/ quod qualem officium fuerit, cum ego capere non possim, antiquariorum *Keiser* committo.

IV. Marcus fleißner A. 1444. qui & ipse fratrum Henricum custodem Lipsiensem vel vicarium, vel lectorem habuit.

V. Henricus ille A. 1449. Guardianus, frater Dominicus Lector & frater Nicolaus Viceguardianus: qui Joh. Truger in Ordinem Laicorum fratrum ea conditione receperunt, ut ille quinquaginta aureos in usum Monasterii exsolveret, atque pro his cum fratribus cibum potumque quo ipsi uterentur caperet, reliquamque suam suppellectilem in cubiculum suum, quod in Cœnobio habebat, transferret. Idem Guardianus Lectorem postea habuit fratrem Hermannum Dœring & Vice-Gardianum Joh. Girschberger.

VI. Chilianus Meier cum Vice-Guardiano Hermanno Fabri A. 1501. Cœnobio præfuit, ante quem procul dubio alii fuerunt, quorum memoria ab antiquitate neglecta periit.

VII. Nicolaus Kellermann, qui lectorem habuit Franciscum Theg.

VIII. Idem ille Techius.

IX. Hermannus Schmidt.

X. Augustinus Fischer.

Notandum verò tempore Techii A. 1513. mentionem etiam fieri ministri provincialis cujusdam, Ludovici nempe Henningii S.S. Theologiae Doctoris, qui dignitate Guardianis antistabat; Habuisse etiam cœnobia olim ædiles suos, qualis fuit Conradus Taschner/ Quæstor hujus Urbis A. 1449.

De ceteris monachis fortè agendum esset pluribus, sed iniquioribus spatiis exclusi, nihil addemus de numero, qui, si Sabellici tempore è 1500. cœnobiis 90000. minoritarum adversus Turcam, citra divini cultus impedimentum poterant mitti, Curia procul dubio haut exiguus fuit; nihil de horis, quandoquidem ad nolæ signum dormire, ex-

per-

pergisci, redormiscere, loqui, tacere, ire, redire, cibum capere, desine-  
re pascu &c. didicerant; nihil de jejuniis, quo esu carniū abstinent  
quidem, ac interim non verentur proximū carnē arrodere; nihil de vo-  
vendi formula, quā castitatem, paupertatem & obedientiam liberè us-  
que ad mortem vovent, aut parum aut omninò nihil præstant; nihil de  
eorum indulgentiis, quibus 447. & 36. dies; Indulgendi veniam ac po-  
testatem à Papis consecuti sunt, & quæ sunt hujus farinae alia, hinc inde  
apud Scriptores obvia; (vide tamen Caspari Finckii Tractatum de mo-  
nachis p. m. 4. 19. 88. seqq.) unicum hoc de vestimento dicemus, quod  
cuculli eorum grisei fuerint coloris, quod Köppelii 40. annos hic præ-  
missarii olim, in Franciscano templo picti imago prodit, quem quò plu-  
ribus nodis, adstringunt corpori, hoc certius religiosæ vitæ testimoni-  
um, tantæque efficaciam putant, ut hoc indutus immunis à diaboli insul-  
tibus credatur. Indeque morti proximi Seraphica veste sepeliri volu-  
ère Francois II. Marchio Mantuan. & Robertus Rex Siciliae aliique  
plures. Sed credo hæc vestimenta diabolum non vereri, alias toties  
eo habitu in cœnobiis nostris non apparuisset. Tantum de Monaste-  
rio Franciscano! Sequitur nunc in apocematismo Scholarum titu-  
lus, de quibus propediem agemus. Jam verò ut proposito illi viam  
sternamus de Gymnasio quosdam è nostris in Academias abituros di-  
cere ita iussimus, ut

**JOH. FRIDERICUS SARTORIUS;** Dn. Joh. Petri  
Sartorii Advocati atque civis Curiani integerrimi Fi-  
lius natus secundus, juvenis modestus atque ingenii tar-  
ditatem multa assiduitate superare annitens de Con-  
temptu Gymnasiorum;

*Alter verò*

**NICOLAUS ZÜRNER,** Viri Admodum Rev. atque  
Amplissimi Domini Nicolai Zürneri Pastoris in Tal-  
tiz meritisissimi, Filius natus maximus, qui tantum non  
integrum sexennium Musis vacavit nostris; juvenis  
doctus & moratus de Honore Gymnasiorum verba è  
Cathedra faciat.


Quos



Qvos sicut cum multiplicis benedictionis appreciatione & bona pace dimittemus; ita ad audiendum illos SERENISSIMI PRINCIPIS ac Domini nostri NUTRICIIQUE Clementissimi Consiliorum Præsidentem Summum, Consiliarium Intimum Eminentissimum, Exarchum Provinciale Curiae gravissimum, Illustrissimum Comitem ac Dominum, Dominum JOHANNEM ALBERTUM, Comitem de Ronov & Biberstein, Dominum in Oppurg, Knau, Krobiz & Grünau, Dominum nostrum multum Gratosissimum; Nec non Virum Maximè Reverendum ac Generosum, Dominum Josephum Friedericum de Waldeck, Hæreditarium in Culmiz & Dœbra-Stœcken &c. Pastorem Primarium & incorporatarum Ecclesiarum Superintendentem, Gymnasii idem Inspectorum Gravissimum, cum Reverendo plurimùm Ministerio; Nobilissimos, Excellentissimos Physicum Ordinarium, Adjunctum & Medicos; Consultissimos Dominos Officiales; Urbis Senatum prudentissimum, Spectatissimumque Gymnasii nostri Patronum & Scholarchas; nec non Honoratissimos Dominos Collegas, Præeximios ac Clarissimos Dn. Studiosos, omnesque Literarum Patronos & Fautores, eâ quâ par est, humilitate, demissione atque humanitate invitamus. P.P. d. 18. Febr.

1 6 9 4





Cœ

Qvan

ORAT

ad D

Curianæ

ut pr

M. J

ran-

ci exponit,

CTORIAS

a habendas

ditos FAUTO-  
que,

è ac decenter

W E J E I

26.

